

LVNÆ DIE 15 M. AVGVSTI A. 2016
A.d. XVIII Kal. Septembres a. MMXVI

I 93

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

DE MUTATIS BELLANDI MODIS

– scripsit Gaius Licoppe –

Pilum mittendi tempus iam diu non est. Intra duo millennia, a tempore Romanorum usque ad alterum bellum mundanum, arma et scientia bellum gerendi ingentes fecerunt progressus, sed progressus nostra ætate finem numquam habere videntur.

A medio enim vicesimo sæculo quot novitates! Tertium bellum mundanum feliciter non(dum?) passus sumus, sed non defuerunt bella localia. Inspiciamus quomodo Americani bella huiusmodi hodie gerant.

Ut semper fuit, prima necessitas est bene detegere quales et quantæ sint hostium copiæ et ubi sint dispositæ. Quarum rerum optimum conspectum afferunt satellites speculatorii. Die 4 m. Octobris anno 1957 Russi, tunc caput Unionis Rerumpublicarum Socialisticarum Sovieticarum, primi valuerunt parvulam spheram satis alte in cælum ructa¹ mittere, ut in orbita circum Terram versaretur. Deinde complures civitates ructas magis magisque potentes fabricaverunt et satellites semper graviore in orbitam miserunt ad varios usus destinatos.

Satellites speculatorii initio imagines rerum terrestrium satis rudes capiebant, e quibus aspectus tantum generalis regionis bellicæ demonstrabatur. Hodie satellites speculatorii tam minutatim scopos terrestres describunt, ut ipsis militibus proximi facti sint; necessarii sunt ad quamcumque operationem militarem suscipiendam. Subtilitas satellitis pendet a nonnullis conditionibus: primum a diametro eius telescopii et magnitudine captorii CCD,² quo imago numerice capitur, in ordinatum transfertur, ubi tractatur. Altitudo orbitæ est quoque magni momenti; quo minor est, eo magis crescit subtilitas, sed satelles in altitudine nimis depressa manere non potest propter atmospheræ frictionem. Americani tamen habent satellites, qui descendere valent in orbitam 180 chiliometra altam.

Satellitibus detrimento est quod non diu manent supra locum explorandum; continue enim moventur in orbita circum Terram et tantum post multos dies reveniunt super locum explorandum.

Quamquam satellites valent visa obiecta 30 centimetrorum discernere, alia speculatio ex propinquo multum iuvat, quam præbent fuci.³ Complures civitates iam ante alterum bellum mundanum conabantur huiusmodi machinas fabricare sed verus earum procurus incohatur occasione belli Coreani (1950-1953), qui fieri potuit iuvantibus progressibus technicæ automaticæ et transmissionum.

Opinio communis occidentalium civitatum, cum pacificæ factæ sint, vix accipit mortem militum in conflictibus, qui eis non videntur maximi momenti; quare perutiles sunt fuci sive observationis, sive

aggressionis, qui operantur nullum hominem vehentes. Annis bismillesimis fuci adhibentur in omnibus conflictibus vel operationibus paci tuendæ, sicut in regionibus Kosovo aut Tchad; etiam in aggressionibus aeris Americanorum in Pakistania et contra piratas.

Fucis similes sunt bombæ volantes, quæ telegubernatione in longinquum scopum mittuntur eumque exactissime delent; una tamen est differentia: sunt unius usus. Feliciter adhibitæ sunt ab Americanis in bello Irakiano (a. 2003).

In operationibus terrestribus quoque robota telegubernata nunc adhibentur. In urbibus, exempli gratia, pugnae sunt valde periculosæ, cum hostes soleant in domibus moles displosivas (Angl. *Improvised Explosive Device*) dissimulare; robotum eas perquirunt, detegunt et displodunt, nullo milite periclitante.

Interrete etiam est novitas; adhibetur in bello psychologico; præterea 90% eorum mahumetanorum terroristarum, quos djihadistas vocare solemus, alliciuntur per interrete.

Etiam magis mirum est cyberbellum,⁴ i.e. usus hostilis scientiæ cyberneticæ recentius in interreti adhibitæ. Ubicumque adhibetur informatica, fieri potest ut aliquod infestum virus⁵ in quoddam programma penetret sive ad id delendum aut mutandum, sive ad informationes hauriendas. Etiam si quoddam programma a permultis adhibetur, tamen tangitur in omnibus sitibus. Privati, qui huiusmodi impetus informaticos per interrete perpetrunt, sunt piratæ informatici, Anglice et inde etiam Francogallice *hackers* vocati. Isti piratæ sunt rei informaticæ peritissimi, non enim facile est tales impetus facere. Qui sunt? E compluribus generibus constant: sunt sive lusores, quibus gaudio est suam peritiam nocendo monstrare, sive cyberterroristæ, sive qui se dicunt ultores et greges virtuales constituunt, quorum hodie maximus se vocat *Anonymous*; qui grex clarus factus est anno 2010, cum in sede interretiali *WikiLeaks* divulgavit 250.000 telegrammata diplomatica Americana, eaque arcanissima.

Ut solet in omnibus pugnis, in cyberbello contra arma ad nocendum dedita inveniuntur arma ad programmata tuenda apta. Ut programmata contra infesta vira protegantur, antivira magis magisque intricata sunt excogitanda; ad quod faciendum omnes magnæ civitates nunc instituerunt provincias peritissimorum hominum,⁶ qui vira in programmatibus detegunt ipsique valent infesta vira elaborare et mittere. Non enim soli privati mittunt infesta vira, sed civitates quoque: hoc est cyberbellum.

Intra quindecim novissimos annos quindecim circiter magni impetus informatici in mundo perpetrati

sunt. Exemplum est virus *Stuxnet*, quod Americani anno 2010 introducere valuerunt in Iranianorum systema informaticum nucleare. Hoc virus infecit mille machinas centrifugas⁷ uranio locupletando, quarum celeritatem rotationis ita clanculum mutavit, ut uranium tractatum ad usum bellicum adhiberi iam non posset.

Cottidie miliarda datorum comitant in interretiali tela mundana; ibi latent informationes maximi momenti pro securitate nationali, i.e. eæ quæ spectant ad terrorismum, speculationem industrialem et greges scelestorum. Aliud officium provinciarum tutoriarum est eas detegere, sed propter ingentem numerum rerum explorandarum computatra semper potentiora sunt necessaria.

Superordinatra accrescunt vicesimo primo sæculo; eorum celeritas operandi metitur unitate vocata *Flops* (Angl. *Floating Point Operation Per Second*). Initio Americani soli potentes machinas habebant, sed anno 2011 potentissima earum est opus Iaponicum cum 8.000 *petaflops*.⁸ Sinenses quoque certamen participant et ab anno 2013 potentissimas machinas fabricant, *Tianhe-2 33 petaflops* et anno 2016 *TaibuLight 93 petaflops*. Huiusmodi machinæ sunt ingentes, tantam electricitatis copiam consumunt quantam minor urbs et tanti pretii constant, ut solæ locupletissimæ civitates eas fabricare valeant. In Europa potentissima confecta est in Francogallia, sed tantum est 2 *petaflops*.

Supra actum est de novissimis armis, quæ iam sunt in usu, sed alia parantur. Canno LASERICUS,⁹ quem Americani iam ab anno 1965 fabricare conantur, nunc tentatur. Radii electi sunt infrarubri, quia calorem gignunt et hominibus sunt invisibiles. Emolumenta sunt hæc: missile vehitur velocitate lucis, ergo scopus tempus non habet loco movendi, quo collineatus est; nulla missilium copia est collocanda; pretium ictus est minimum. Difficillimum tamen est radiorum fascem ad minimum 30 chiliowattorum gignere. Anno 2014 in sinu Persico fucus ignotus appropinquat Americanæ navi experimentis deditæ; statim canno LASERICUS eum collineat et ictum 30 chiliowattorum facit; fucus ita calefit, ut mox incensus in mare cadat. Calefactio tamen non satis celeriter crescit quam ut scopus loco moveri possit antequam incendatur; insuper ipse canno tantum calefit, ut nimis longum tempus interponendum sit inter duos ictus. Hic ergo canno ad bellum nondum est aptus.

Dum civitates hodiernæ et maiores et minores ingentem pecuniam impendunt in arma nova excogitanda et experienda, mala terribilia genus humanum insidiosè aggrediuntur, quorum agentes sunt nova vira. *Sida* (Syndroma Immunitatis Defectus Acquisiti; Angl.

Aids) corporis defensionem contra morbos delet. Virus *Ebola* annis 2014 et 2015 in Africa occidentali morbum intestinorum concitavit, quo 40% ægrotantium vitam perdiderunt. Coronavirus est agens gravis acutique syndromatis respiratorii (Angl. SARS: *Severe Acute Respiratory Syndrome*); recentius (a. 2012) novum Coronavirus in Arabia Saudia apparuit maiore virulentia mutatione ita adeptum, ut tertia pars ægrotantium periret. Novum virus *Zika* (Angl. ZIKV = *Zikavirus*) ineunte anno 2016 ab Organizatione Mundana Sanitatis (OMS; Angl. WHO = *World Health Organization*) declaratum est urgens periculum internationale; præcipue apud feminas gravidas concitat mutationes in fetus genomete, quibus infans nascitur microcephalia affectus.

Nullum adhuc medicamen inventum est, quo morbi virales sanari possent. Investigatio eget maxima pecunia et laboratorii plurimis. ❧

1. Rucheta: Fr. *fusée*, Angl. *rocket*.

2. Captorium CCD (*Charge Coupled Device*) nunc in instrumentis photographis adhibetur loco pristinæ pelliculæ argentæ; imago adepta constat e minimis particulis (*pixels*) numerice expressis, ita ut transferri possint in ordinatum et ibi tractari.

3. Fucus = mas apis; Fr. *faux bourdon*; Angl. *drone*. Hoc cognomen Angli dederunt machinæ suo Marte volanti et telegubernatæ, quæ sonabat fere eodem modo ac fucus. Francogallice ad has machinas designandas vocabulum Anglicum *drone* assumptum est.

4. Scientia cybernetica: hoc nomen anno 1947 propositum est ab Americano mathematico Norberto Wiener; est scientia, qua coniunguntur complures recentes investigationis campi, qui sunt automatica, electronica et theoria mathematica informationis. Cyberbellum (Fr. *cyberguerre*, Angl. *cyber warfare*) est usus hostilis scientiæ cyberneticæ per interrete.

5. Virus, i n. (pl. vira, virorum; Ant. solum singularis numerus adhibetur) apud Ciceronem significat venenum. Senu neoterico a medicis hodiernis dato significat has particulas bacteriis minores, quarum non paucæ terribiles morbos in animalia et homines inferunt. Recentius, propter aliquam similitudinem de modo operandi, informatici hoc vocabulo usi sunt ad iussa informatica significanda, quæ ad nocendum astute et clanculum per interrete in aliquod programma introducuntur.

6. In Francogallia e.g. sunt duo milia et plures sunt in maioribus civitatibus.

7. *Centrifugeuse* (Fr.; Angl. *centrifuge*): centrifuga (B. Zlotnicki, *Lexicon Medicum*, Varsaviæ, 1971, p. 193.) vel centrifugium.

8. *Kiloflops* (10^3), *petaflops* (10^9).

9. LASER: Angl. *Light Amplification by Stimulated Emission of Radiation*.

Vocabulum acronymicum LASER in omnibus linguis hodiernis adhibetur, ergo Latine quoque est adhibendum.

IN MEMORIAM INCLVTISSIMAM PROF.RIS D.RIS NICOLAI FEDOROV MOSCOVIENSIS

– scripsit Alexius Slednikov –

« Valde doleo quod Prof. Nicolaus Fedorov, qui tam diu linguæ Latinæ in Russia fuit lux, nos reliquit. Vita magnorum... semper proh dolor est brevis, sed ille pretiosam Russiæ hereditatem dedit, id est discipulos..., qui iter eius pergere possunt et debent. » Talia Paula Marongiu Florentina, cum ei hunc virum Latinissimum alterumque et nongentesimum iam annum agentem die 26^o m. Iun. h.a. vita functum esse nuntiavissem, rescripsit. Quibus verbis prolatis plane patefecit, quanti ille ponderis philologiæ classicæ Russorum fuisset permaneretque.¹

Natus autem est Nicolaus Alexii f. Fedorov (sive Theodorus) Moscoviæ die 16^o m. Apr. a. 1925^o. Absoluto scholari curriculo Academiæ Moscoviensis Lomonosovianæ Facultatem litterarum Rutenicarum a. 1944^o intraverat, mox tamen prælectionibus de antiquitate Græcorum Romanorumque inflammatus in utriusque linguæ grammaticorum Scholam migravit. Expletis post quinque annos studiis usque ad annum 1952^{um} summos duce Prof.re Sergio Radtzig honores doctoris petivit, attamen thesım de vocabulorum æstheticorum Ciceronianorum progressionibus multo post, anno scilicet 1981^o confecit. Ceterum ab eodem anno 1952^o in Academia Lomonosoviana munere magistri fungi cœpit.

Idem autem decursu decenniorum et studiosis docendis et scriptis convertendis optimam sibi famam maximamque auctoritatem acquisivit. Ipsa lingua Latina non solum intra auream quæ dicitur ætatem quin etiam diurnam Romanorum antiquitatem compressam esse, sed tot posterioribus etiam sæculis floruisse, immo vero ad hanc quoque recentissimam ætatem pertinere patet ex auctoribus quorum opera Russicæ linguæ donavit. Ciceronem dico quem maxime æstimabat, S. Ambrosium Mediolanensem, Iulium Cæsarem Scaligerum, Franciscum Baconem, Leonem Baptistam Albertum, Franciscum Philelfum, Laurentium Vallam, Ioviannum Pontanum, Godefridum Guilielmum Leibnitium, Iohannem Lockium, Petrum Gassendi, Michaelem denique von Albrecht. Quod tamen attinet ad rationes docendi quas exhibuit, quis alius rem melius referat uno discipulorum? « Omnia, quæ in scholis agebantur, » inquit Prof. Dr Alexius Scatebranus (qui et Solopov) Rutenus, « vividissime ante oculos ponebantur: gestu, oculorum nutu, capitis inclinatione, tum pronuntiatu modo vere histrionico nonnumquam inflexo. Quæ partim a doctrina eruditione urbanitate iudicio proficiscebantur, partim a felicissimo ingenio et indole summaque arte actoris scænico digna, quæ nativo quodam lepore aspersa erat... Ferraro igitur opus esse videbatur rebus gram-



Photographema auctori datum a domina Fedorova

ticis explicandis, quæ quasi sua sponte discebantur; odisti enim illa Orbiliis trita, declinationum exempla et regulas normasque ostendere, mox ex discipulis ea requirere. Sed quod licet Iovi, non licet bovi, neque belle nobis videtur, si omnes nihil omnino in scholis regularum proponant neque ex discipulis interrogent... Quid multa? Spectaculorum fabularumque scænicarum instar erant scholæ nostræ, quibus omnia inesse poterant præter tædium. »²

Ex hac profunda docendi peritia anno 1968^o liber institutorius linguæ Latinæ (coactrice Valentina Miroshenkova collega) undecies in lucem editus, deinde anno 1981^o chrestomathia auctorum Romanorum (eadem coactrice), item anno 1989^o duorum voluminum chrestomathia auctorum Græcorum (eadem coactrice), postremo anno 2003^o chrestomathia auctorum Latinorum mediæ ætatis ac renatarum litterarum sunt orti.

Illud autem quod vergentibus annis 60^{is} considerat theatrum Latinum, non tantum Moscoviæ variisque in regionibus Unionis Sovieticæ notum est, verum etiam nonnullis in urbibus oppidisque Germanorum occidentaliū. Quo fabulas Plauti, Catulli, Hrosuithæ studiosi studiosæque agebant loquendo, canendo, saltando.

Eodem denique temporis spatio conventum Bucurestiensem anno 1970^o celebrato cum participaret,³ ad Latinitatem vivam conversus est. Porro aliis quoque interfuit conventibus: Lovanii et Antverpiæ anno 1993^o, Matrity 2002^o, Alcannizii et Ampostæ anno 2006^o, Neapoli anno 2007^o, Segedini anno 2008^o,

Ratisbonæ anno 2009°, Romæ anno 2010°. Sed iam antea cum anno academico 1986°-1987° in studiorum Universitate Moscoviensi scholas Latinitatis vivæ instituit, linguæ Latinæ usum ineunte sæculo XX° ibidem miserabiliter extinctum feliciter restituit. Itaque alter – simul cum Prof.re Iacobo Borovio Lenino- et Petropolitano (a. 1896° – a. 1994°)⁴ – pater Latinitatis vivæ Russorum iure meritoque nominatur.

Anno 1987° Catharinam Sergii f. sibi matrimonio iunxit, ex qua ei anno 1988° Alexius filius natus est. Porro anno 1994° in studiorum Universitate humanitatis studiis provehendis [Russian State University for the Humanities] Professor linguæ litterarumque Latinarum factus est, annis autem 1994°-1998° in Academia Russica Orthodoxa Ioanna munere Decani Scholæ philologorum est functus. Præterea annis 90^{is} in Museo Græco-Latino, ab anno vero 2003° in Academia Theologica Orthodoxa Tychoniana linguam Latinam docuit. Propter merita sua in Latinitate iuventuti tradenda tribus Ecclesiæ Russicæ Orthodoxæ insignibus honoratus est.

Requiem æternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. ☩

1. De Prof.re D.re N. Fedorov vide: [A. Solopov,] «Alexius Scatebranus Rutenus Nicolao FEDOROV Alexii f. magistro suo salutem», *Aristei. Vestnik klassičeskoj filologii i antičnoi istorii*, XI, p. 13-16; A. Slednikov, «'Legere, id est intel-legere docere'. De Nicolao Fedorov clarissimo professore Moscoviensi nonagenario», *Vox Latina*, 51, 443-450. Collectanea in ipsius honorem quæ Russice exstant: N. Grintser et D. Torchilov (edd.), *DISCIPLINA MAGISTRO: K 80-letiu N.A. Fiodorova*, Moskva, 2008; E. Fiodorova (ed.), *Ars docendi - Iskousstvo naoutčit': K 90-letiu latinista Nikolaia Alekseieviticha Fedorova*, Moskva, 2015.
2. [A. Solopov,] *op. cit.*, p. 14.
3. De quo conventu commentationem conscripsit hanc: N. Fedorov, «Conventus omnium gentium Latinis litteris linguæque fovendis Bucurestiis MCMCLXX a die 28 mensis Augusti ad diem 3 mensis Septembri», A. Takhogođi, I. Nakhov (edd.), *Voprossy klassičeskoj filologii*, t. 5, Moskva, 1970, p. 228-239. Eandem etiam invenies hac in pagina: <http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/bitstream/123456789/3572/1/Fedorov%20N.A.f.%20De%20conventu%20Bucurestiensi.pdf>
4. De Prof.re D.re Iacobo Borovio vide: A. Solopov, «De Iacobi Borovii die natali nonagesimo quinto rite celebrato», *Vox Latina*, 28, p. 454-457; A. Chernjak, «Iacobo Borovskio nonagenario», *Drevny mir i my*, 1, p. 167; idem, «In memoriam inclutissimam Jacobi Borovskii, professoris Petropolitani», *Vox Latina*, 30, p. 418-421; T. Pekkanen, «In memoriam Iacobi Borovskij», *Melissa*, 59, p. 14-15. Russice et Anglice exstant: A. Gavrilov, «Iakov Markovitch Borovskii», M. Slaviatinskaia (ed.), *Dvoinoi portret (filologii-klassiki o filologakh-klassikakh)*, Moskva, 2011, p. 31-39; idem, «Jakov M. Borovskij, Poet of Latin in the Soviet Union», *Classics and Communism: Greek and Latin behind the Iron Curtain*, Budapest, 2013, 19-36. Vide etiam: I. Borovskii, *Opera philologica*, Sankt-Peterbourg, 2009.

LEGERE ENIM ET NON INTELLEGERE NEGLEGERE EST

Disticha Catonis, prooemium

RAPTI PENATES

SIVE

DE MYTHO TROIANO

– scripsit Marcus Cristini –

*Res cum re,
causa cum causa,
ratio cum ratione pugnabit.*
(Ciceronis *Pro Cælio*, 22)

Tætræ tenebræ densaque caligo urbem Mythopolitanam complexæ erant. Nullum sidus micabat, cum cælum nubes atræ paulo ante occasum solis invassissent. Tonitrua procul audiebantur, ventus leniter spirabat et, gratissimus omnibus, æstum diei repellibat, secum imbris fragrantiam ac spem solacii arboribus et animalibus ob æstatis ardorem laborantibus afferens. Domus silebant cunctæ præter ædes Æneæ, ubi heroes heroidesque illustres in horto epulabantur læti, ut facinus Anchisiadæ novum celebrarent.

Nam ille post inopinatum pelliculæ cinematographicæ successum, quæ Troiæ Halosis nuncupabatur quæque pecuniam ingentem moderatori eius Orpheo et famam inclitam actoribus paraverat, expositionem de Mytho Troiano in Mythopolitano museo instituturus, reliquias rerum Dardaniarum undique collegerat, ut periegetæ et incolæ veram historiam de occasu Troiæ cognoscerent monumentaque egregia illius temporis aspicerent. Ærumnas multas passus, armis famosus, vestibis vetustis, voluminibus pulvere onustis, imaginibus pictis ob ætatem provectam satis decoloratis et navigiis Danais Teucrisque collatis, foedus cum Societate ad Mythologiam Provehendam fecerat, quæ, cum per annos innumerabiles prope palatium Musei Mythopolitani sedem habuisset et commentarios periodicos doctissimos ne a sociis quidem lectos edidisset, postremo animadverterat aliquid conandum esse, ut ex oblivione immortalium gesta veteriora mortaliumque vindicaret. Itaque, cum Æneas consilium de expositione statuenda patefecisset, societatis præses illi subsidio venit et diis heroibusque nonnullis suasit, ut pecuniam pro incepto hoc nobilissimo donarent. Musei moderatore consentiente, expositio in œcis ipsius egregii ædificii collocata est et, dis faventibus, intra dies septem mirabilia eius apertura erat. Qua de causa Æneas heroes amicos amicasque heroides invitaverat, ut felices dapibus et facetiis lætarentur.

Fame cibus optimis et dulcibus potionibus siti placatis, omnes adfabaliter colloquebantur, iocosa et seria miscentes, præterita memorantes, futura divinantes et præsentia disserentes. Subito Diomedes Æneæ mentionem fecit de nocte illa, cum dolo Troia capta est. Valde erravit. Heroi enim vitium nonnullis molestum erat: quotienscumque rem secundam vel adversam audiebat, de qua Vergilius scripserat, extemplo e pera chlamidis suæ *Æneida*, quam semper secum habere consuevit,

trahebat et versuum cohortem legebat. Quod repente evenit. Nam Æneas celeri manu volumen cepit et priusquam aliquis eum sistere potuit, recitare incohavit voce sollempni: «Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset ille dies, festa velamus fronde per urbem...». Dido subrisit, Andromacha oscitavit, Ulixes gemuit, Diomedes edere perrexit. «Vertitur interea cælum et ruit Oceano nox involvens umbra magna terramque polumque...». Heroes heroidesque iam parati erant ad lectionem longam patiendam, cum Iuppiter Pluvius eis subsidio imbre subitaneo et procella venit. Cuncti raptim in domum aufugerunt et declamatio interrupta est omnibus gaudentibus.

Turbulenta tempestate peracta, cum sero factum esset, heroes Æneæ Didonique valedicere cupiebant, sed hospes dixit se illis mirabilia monumenta, mox decus expositionis ornamentumque maximum, ostendere velle, id est Troiæ Penates. Quos in fano eleganti, columnis Corinthiis ornato, marmorea crepidine instructo, summa vigilantia custodiebat. Æneas comites heroes illuc duxit et clavem cepit satis longam, ut portam reseraret, sed ostium iam pandebat. Pius dux, qui cum amicis facete sine intermissione per tempus integrum vespertinum collocutus erat, confestim obmutuit. Arrectæque sunt horrore comæ illius et vox faucibus hæsit. Tremens ingressus est in fanum et – horribile dictu – Penates aberant.

Dum hæc apud Æneam agebantur, Cædipus, vigillum Mythopolitanorum centurio, et Argus subcenturio cafeam bibentes in sede publicæ securitatis custodum de criminibus mensis exeuntis commentarium brevem scribebant, ut civibus cunctis ostenderent quantum vigiles Mythopolitani prodessent ad tranquillitatem urbis servandam. Re vera Mythopoli crimina perraro fiebant et tam venialia erant, ut vigillum auxilio heroes heroidesque haud egerent. Num tamen potest hominum congregatio civitatis nomine digna sine vigilibus esse? Qua de causa Mythopolitani statuerunt, ut centuria vigillum efficeretur, sed deliberaverunt vigiles duos tantum esse, ne pecunia stulte perderetur.

«Cædipe, quid faciamus, quid scribamus? Hoc mense nihil accidit.» «Minime, Arge, hora nulla vacua a furto, scelere, crudelitate, flagitio reperitur. Crimina nefanda multa perpetrata sunt, quibus nihil detrimenti res publica cepit nobis impigerrime excubantibus.» «Crimina nefanda?» interrogavit obstupefactus Argus,

lumina centum in Œdipi vultum figens. «Amice, sapientibus verbis usi, multa scelerum horrendorum instar intellegi possunt, quæ civibus palam demonstrant illis maxime nobis opus esse. Exempli gratia, nonne ante dies decem ad ædes Herculis ivimus?» «Certe, sed quod vidimus mihi plus comœdia quam scelus visum est.» Die illo Hercules, cum Omphala colloquio amatorio deditus, ab uxore Deianira deprehensus est. Quæ, valde scilicet irata, clava domitrice ferarum mariti caput percussit. Ille, amante et fugæ spe simul destitutus, consultum extremum cepit et post ictum uxoris vehementiorem magna voce «Me miserum, morior!» dixit ceciditque iacuitque humi immotus. Deianira, quæ se maritum vero necavisse arbitratur, flevit et locuta est verba singultantia: «Impia quid dubitas Deianira mori?». Hercules, ratus tum uxorem ei favere, pedetemptim membra iterum movit. Mulier tam læta fuit, ut ei extemplo ignosceret. Œdipus et Argus ad Herculeam domum advenerunt postquam omnia gesta erant, itaque utrique valedixerunt et subridentes ad stationem regressi sunt.

«Amice – inquit Œdipus – scribe hæc: die secundo mensis Metageitnionis vigiles Mythopolitani ob alacritatem suam indefessam celeritatemque providentissimam impediverunt, quominus civis clarus occideretur et uxor eius illustris, dolore amens, ferrum in se verteret.» «At Deianira clavam ligneam, non ferrum in manu tenebat.» «Hoc mea minime interest, num scribere possumus ‘clavam ligneam in se verteret’? Sententia inconcinna esset.» «Sit, quæ dixisti scribo.»

«Bene, transeamus ad reliqua. Adde: ‘Die vigesimo quinto eiusdem mensis vigiles, indaginibus difficillimis perfectis, laborantes sine intermissione die nocteque coniurationem scelestam patefecerunt, rei publicæ hostem post conamina periculosa vivum ceperunt, eum in custodiam duxerunt et postea illi suaserunt, ut eum pæniteret incepti execrabilis et vigilibus de coniuratione quæ cognoscebat revelaret. Alii asseclæ adhuc vestigantur.’»

«Œdipe, quid dicis? Hoc numquam factum est.» «Erras, mi Arge. Num Polyphemi oblitus es?» «Sed ille vesperi in sedem nostram temulentus ingressus est canens cantum horrisonum ‘Nemo non me occidam’. Probabiliter miser Polyphemus arbitratus erat se domum pervenisse, quæ iuxta ædificium nostrum est. Cum nos aspexisset, putans ante se Ulixis comites stare, de inanibus insidiis ad eum necandum paratis locutus est. Ille equidem tam vino erat imbutus, ut repente sterneretur et ebrius obdormiret. Die sequenti eum domum reduximus.» «Arge, narratio tua vera est sed, absit iniuria verbis, paululum invenusta. Mea

contra, cum elegantior sit, libentius legitur. Age, scribe quæ tibi dictavi.» «Ita.» «Nunc deliberandum est de facinore...» Telephonum subito terribili sonitu tarantata dixit. «Vigiles Mythopolitani» respondit Œdipus. «Quid? ... Ubi? ... Quando? ... Intellego, quam primum veniemus.» Telephonum reposuit satis turbatus. «Œdipe, quid accidit?» interrogavit Argus. «Fur Æneæ Penates abstulit.»

Vigiles duo paulo post apud criminis locum adfuerunt. Æneas, casu concussus acerbo, silebat mæstissimus. Uxor Dido eum solari conabatur aiens: «Marite, noli desperare, Penates tui mox invenientur. Præterea nec parentes nec filios prædones tibi ademerunt, sed parva simulacra.» «Me miserum! O patria et rapti nequiquam ex hoste Penates! Quid agam? Quid faciam? Quo me vertam?» His dictis Œdipum Argumque aspexit. «Amici, quæso, Penates mihi reddite!» «Ænea, noli timere, investigationem sollertem instituemus et furem mox capiemus. At de hac re certiores fieri cupimus. Primum scire velim exacte quid tibi ablatum sit.» «Troia quidem Penates!» «Hoc iam scio, potesne Penates istos accuratius describere?» «Sunt marmorea sigilla a me ex Asia in Italiam advecta. Ut poeta scribit, sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates...» «Certe, sed quæ est eorum facies?» «Sunt iuvenes duo venusti pila in manibus tenentes. Ecce photographema eorum» dixit Œdipo ostendens sophophonum cum Penatium imagine. «Eos in expositione de Mytho Troiano collocare exoptabam.» «Ubi erant ante furtum?» «In fano illo.» «Num scopocameras illic posuisti?» «Minime, quis dixerit furem in urbe nostra esse?» «Quando Penates postremum vidisti?» «Hodie, tempore meridiano.» Œdipus diligenter responsa in ordinato suo tabellari scripsit, dein fatus est: «Arge, mecum veni, fanum inspiciamus.»

Magna cum cura parvum templum inspexerunt, dein Œdipus interrogavit iterum Æneam. «Ubi portæ clavem custodis?» «In aula domus meæ.» «Quis locum exactum cognoscit?» «Nescio, hebdomadis præteritis multos in fanum comitatus sum, ut Penates mirarentur et pecuniam pro expositione statuenda elargirentur. Aliquis fortasse invenit, ubi clavem reponere soleam. Cur tamen ille nefarius hodie Penates furatus est? Ego et Dido sæpe absumus, crimen facilius in domo deserta esset.» «Care Ænea, tibi respondeo furem istum callide se gessisse. Ille sciebat vespere hodierno apud te amicos epulari et tempus elegit secundum ad crimen perficiendum, cum nunc quemquam hospitem suspicari debemus.» «Indigna homine honesto dubitatio! Num Hector, Ulixes vel Diomedes fures sunt?» «Ulixes et Diomedes, nisi fallor, olim Troia Palladium

eripuerunt» inquit Argus. Æneas obmutuit.

Dido subrisit. «Marite care, tute, qui mythos antiquos tam bene noscis, ut omnibus volentibus vel nolentibus eos narres, id oblivisci!». «Cum Argo consentio» fatus est Ædipus. «Primi interrogandi sunt ii, qui olim iam peccaverunt. Ad domum Ulixis Diomedisque mane pergemus.» Dein, Æneæ mæstiam miseratus, addidit: «Sursum corda, amice. Scelera multa obscurissima annis præteritis resolvimus. Ne omnia fuse eloquar, sufficiat dicere nos olim post diem unum reum furti in domo Persei, qui rem inæstimabili pretio eximiam sustulit, cepisse.» Argo cogitavit veritatem paulum differentem esse, cum placenta Persei furtim ablata revera a cane suo esa esset, cuius culpa patefacta est quia Ædipus ob placentæ fragmentum ante canis cubile humi decidit. At nihil dixit.

Die sequenti primo mane Ædipus et Argus ad Diomedis domum appropinquaverunt et ostium sollemniter pulsaverunt. Brevi interposita mora Diomedes portam aperuit aiens: «Quis tam demens est, ut heroa honestum ante solis ortum repente expergeficiat?» «Vigiles Mythopolitani sumus!» respondit cum gravitate Ædipus. «Ædipe, Arge, ignoscite mihi, vos non recognovi. Ingridimini, quæso.» Publicæ securitatis custodes in domum intraverunt. «Nos piget te hora ista visitare, sed...». «Noli timere, amice, lætus sum vobiscum colloqui. Scio negotium vestrum curis laboribusque plane inane esse, itaque non dubito quin aliquando optetis cum aliis sermocinari. Paululum expectate, mox una ientaculum edemus.» His dictis in cubiculum iuxta aulam ubi erant abivit.

Minutis nonnullis elapsis iterum rediit cibus potionibusque onustus. Ille et hospites ante mensam mappa flammis rubris bicipitibusque contexta ornatam consederunt, ubi gulæ oblectamenta plurima Diomedes posuit: aderant thea, cafea, socolatæ sorbitio, lac, mali Sinensis succus, panes, mel, butyrum, crustula saccharifera forma et gustu dissimilia multa, pastilla Persicis fructibus plena, scriblitæ odoriferæ, offæ dulces, buccellæ cum pomis conditis et innumerabilia alia, quæ minutatim memorare longum est. «Amici, veniam peto, hodie mensa pauperrima videtur, sed si cognovissem ad me vos advenire, ientaculum dignius paravissem.» Vix ea fatus erat, cum beatus edere incepit. Quem Ædipus et Argus statim imitati sunt.

«Diomedes, dic mihi, quid reris de Æneæ raptis Penatibus?» «Miser Ænea, numquam vidi hominem infeliciorem. Penates erant non solum monumentum illustre nobilis generis Troiani, sed etiam decus expositionis eius.» «Tua opinione, qui fur illos auferre potuit?» «Nescio, mihi videbantur sigilla marmorea

nullius momenti. Fortasse amator rerum antiquarum eos avertit.» «Aliquid vidisti audistine, dum epulaberis?» interrogavit Argus. «Nihil. Sed repente imber de cælo cecidit et nos omnes intus fugimus.» «Aliquis moratus est?» «Arge, quid dicis? Num putas furem ex heroibus tunc epulantibus aliquem esse?» «Immo» inquit Ædipus. «Hoc suspicor.»

Heros edere desiit. «Amici, de innocentia quoque mea dubitatisne?» «Diomedes, nos veritatem invenire cupimus. Ut hoc efficiatur, te et alios heroes interrogabimus. Ad te primum venimus quia ante sæcula... Arge, quando fuit Bellum Troianum?» «Urbs capta est anno 408 ante certaminum Olympicorum initium.» «Ita, igitur, ante plus minusque sæcula triginta et duo tu et Ulixes Troiæ Palladium abstulisti.» Heros paluit. «Ædipe, iuvenis eram... præterea consilium fuit Ulixis. Ille mihi suasit, ut Palladium caperem.» «Tu tamen illud sustulisti.» «Sustuli et, dicam plane quod sentio, id solus sustuli, dum Ulixes, in quo tantum calliditatis quantum ignaviæ est, tutus apud portas me expectabat. Ab illo luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto. Postea ipse conatus est clam Palladium e tentorio meo auferre, ut solus furto illustri gloriari posset. Tamen, ut iam dixi, nos ambo iuvenes et, quid negem, etiam satis stulti eramus.» «Tamen recordor te cum Ænea longe et acriter ante Troiam pugnavisse.» «Tum ille servatus est a matre sua Venere. Quod nisi ita fecisset, certe vicissem.» «Hæc furti causa esse potest» dixit Argus. «Minime! Penates illos numquam tetigi, deos omnes superos inferosque testor, reus criminis istius non sum. Nonne furem cognoscere vultis? Ulixes est, pessimus et perfidissimus omnium heroum!» Ædipus ordinatum suum, quo omnia notabat, extinxit. «Diomedes, pro omnibus verbis, quæ nobis dixisti, gratias tibi multas ago. Nunc ad Ulixem pergamus.»

Hoc tamen facilius erat dictu quam factu. Nam cum vigiles ante Ithacensis villam tintinnabuli malleolum presserunt, statim Penelopa egressa est dicens maritum abesse. «Illi sophophono statim telephonabo» fatus est Ædipus, sed nullum responsum accepit. «Timeo ne mariti sophophonum his diebus male munere suo fungatur...» «Quando revertet?» «Nescio, nihil mihi dixit, cum abivit.» «Opto nobis per viginti annos expectandum non esse» inquit Ædipus. Penelopa subrisit. «Minime, ante vesperum redierit.» Ædipus paulisper cunctatus est, dein ex illa quæsivit: «Penelopa, adfuitine heri apud Æneam?» «Minime.» «Cur, si interrogare licet?» «Quia caput meum dolebat.» «Itaque domi mansisti?» «Sic.» «Intellego. Igitur, vesperi redibimus, ut cum Ulixem colloquamur. Vale, Penelopa.»

Cum vigiles e domo passibus nonnullis remoti essent, Argus dixit: «Ædipe, quid de hoc arbitraris?» «Videtur Ulixes nobiscum colloqui nolle.» «Nonne ergo reus est?» «Id inveniēmus cum inquisitio peracta erit. Nunc ad Hectorem eamus.» Hector et Andromacha aderant et vigiles urbane acceperunt.

Eos in aulam magnam venustamque duxerunt, ubi conspiciebatur ingens tabula picta Portas Scæas adumbrans. Interrogati de epulis hesternis responderunt se nihil inusitati animadvertisse. Sed extemplo Andromacha «Recordor – inquit – post procellæ ortum Didonem ultimam domum, minutis quattuor vel quinque elapsis, ingressam esse.» «Quare?» «Dixit se vasa in culinam attulisse, sed porro egrediens vidi fictilia nonnulla adhuc super mensam posita et imbre plena.»

Ædipus omnia ordinatraliter scripsit. «Dic mihi, Hector – inquit Argus – quid de Æneæ expositione reris?» «Inceptum laudandum est, tamen...» «Tamen?» «Tamen... dicam sincere quod sentio, Æneas sæpe putat se solum Troianum in cuncto orbe terrarum esse. Antequam expositionem instituere inchoavit, num putatis illum mecum locutum esse? Minime, is egit etsi re vera Achilles Troiæ sub mœnibus altis me necavisset.» «Hector – addidit Andromacha – iure Troiani regni heres est, sed Æneas nobis ne tabellam quidem minimam pro expositione conscribendam tradidit.» «Nonne Penates vobis umquam monstravit?» «Nescio, olim fortasse, sed oblitus sum» respondit Hector. Dein addidit: «Amici, si furem deprehendere vultis, nolite nobiscum morari, sed Didonem interrogate! Illa, perfidia plusquam Punica pollens, scit, ubi Penates sint!» «Quid illos auferret?» «Hoc facile intellegitur. Dido invidia laborat ob Carthaginem a Romanis deletam et ob Romam mundi dominam factam.» «Insuper Æneas his hebdomadis tam assidue operam dedit ad expositionem perficiendam, ut cum uxore vix locutus sit. Et mulieres neglectæ iniuriam ulcisci solent» conclusit Andromacha maritum intente aspiciens.

Colloquio peracto, e domo Hectoris vigiles egressi sunt. «Quid facimus?» inquit Argus. «Ulixem interrogabimus.» «Vesper tamen longe abest.» «Noli de vesperare curare, eum statim visitabimus.» «Scisne ubi lateat?» Ædipus subrisit. «Nunc, amice, astutia cum astuto nobis certandum est.»

Paulo post Argus Eumæi ostium pulsavit. Simul domus portam alteram, quæ in viam pone ædificium immittebat, aliquis pandit et Ulixes furtim exivit. «Amice, vale!» dixit Ædipus. «Forte via ista ambulabam cogitans de criminibus recentibus, cum te vidi. Fatis huc te poscentibus adfers. Nam te de raptis

Æneæ Penatibus interrogare velim.» Ulixes, qui calliditatem agnoscere valebat, subrisit annuitque.

Interea Argus quoque pervenerat. «Arge, quomodo te habes?» ex eo quæsivit Ithacensis. «Num oculi tui adhuc infirmitate laborant?» Paulo ante miserum monstrum ob oculos quinquaginta tumentes ac lacrimosos ad medicum oclarium raptim iverat. Ophthalmicus oculos ægrotos curaverat, sed ab Argo petiverat pro quoque oculorum pari pecuniam, quam homines oculos duos gerentes solvere solent, id est vicies quinques argentum usitatum. Argus, querimonia nonnullas elocutus, postremo pecuniam solverat aiens se valde gaudere dimidiam oculorum suorum partem sanam fuisse. «Nunc bene valeo» respondit, dum multa cum animo suo adversum ophthalmicumolvebat.

«Ulixes» inquit Ædipus «si tibi placet, in viridario Utopia deambulemus inter nos de Æneæ casu disseverentes.» Eo statim perrexerunt et vigillum centurio quæsivit. «Amice, aliquid inusitati vidisti audistine cenans apud Æneam?» «Nihil, care Ædipe, nihil præter solitos versus Vergilianos, quos Æneas more solito legit. Sed, fortuna favente, vix Æneida e pera sua extraxerat, cum imber de cælo cecidit et nos omnes domum ingressi sumus.» «Num aliquis foris mansit vel sero intus venit?» «Dido paulisper morata est, ut vasa in culinam reponeret.» «De hoc quid arbitraris?» interrogavit Argus. «Recte fecit, procella sæva erat et fictilia facile franguntur.» Ædipus ordinatrum tabellare in manu tenebat et omnia notabat. «Ulixes, dic mihi, Æneæ Penates umquam vidistine?» «Profecto, ante menses duos Æneas illos mihi ostendit, ut pecuniam pro expositione sua colligeret. Ego tamen ne nummo quidem eum donavi, cum expositio illa absurda mihi videretur.»

Interea ad fontem in medio viridario pervenerant. Ibi equum ligneum satis grandem conspexerunt, quem regimen Mythopolitanum ante sæcula duo fabricandum curavit, ut millennia tria ab oppugnatione Troiæ celebraret. Statua, olim insignis, labentibus annis ob oblivionem omnium temporis edacis haud sanata vulnera passa est. Itaque inter trabes marcescentes columbi nidificabant, habitatores novi illius fatalis machinæ. «Agnosci nequeunt ævi monumenta prioris» murmura vit Ulixes. Dein ad vigiles lumina vertit dixitque: «Amici, scio vos me Penatium furem esse arbitrari, sed longe erratis. Æneæ sigilla numquam abstuli.» «Palladium equidem eripuisti.» «Certe, illud autem verum erat.» «Quid dicis?» Ithacensis subrisit. «Amici, miror vos, qui tam callidi estis, ut versutum Ulixem dolo capiatis, criminis reum modo huc modo illuc

exquirere, cum scelestum illum ab initio indagationis vestræ cognoveritis.» «Quis est?» «Ipse Æneas.»

Vigiles aliquantisper tacuerunt. Dein Cēdipus iterum fatus est. «Ulixes, cur hoc dicis? Tibi edepol non confido!» «Pessima consuetudo est despiciere veritatem.» «Quidnam Æneas Penates suos raperet?» «Facile dictu, ne quis illos falsos esse cognosceret. Nam Penates veri Troiæ combusti sunt. Illa nocte ego vidi Æneam fugientem et, mihi credite, nullos Penates secum ferebat. Eos postea clam finxit, ut spem Troianis daret. Fuit consilium astutum, id fateor. Ad expositionem tamen illustres archæologi venient, qui fraudem patefacere possint.» «Sit ita sane. Cur autem Penates in expositione ostendere voluit?» interrogavit Argus. «Amice, Æneæ Penates sunt inter Troianas reliquias antiquissimi et clarissimi. Sine quibus expositio fieri haud poterat.»

His auditis vigiles Ulixi valedixerunt et turbati inter se locuti sunt. «Num Ulixes mentitus est, ut culpam suam occultaret?» «Fortasse, sed quæ dixit nihilominus investiganda sunt.» «Quomodo? Num Æneam interrogemus?» «Hoc inutile est, ille fraudem sine cunctatione negaret.» «Itaque veritas in æternum incognita manebit. Quis de hac re nos certiores faciat?» Cēdipus silens cogitavit per minuta duo, dein dixit. «Dii nobis subsidio venient. Nam illi profecto sciunt, quid Troiæ ante sæcula triginta et duo acciderit.» «Ad Olympum eundum estne?» «Minime. Nam, nisi fallor, hodie Iuppiter Mythopoli est. Apud Societatem ad Mythologiam Provehendam mox acroasim habebit.»

Vigiles statim eo perrexerunt, sed cum auditorium ingressi essent, senserunt colloquium iam procedere. Itaque consederunt Iove loquente. Colloquii titulus erat *De mei ipsius et multorum ignorantia*. Auditores perpauci erant, Cēdipus Calchantem, Tiresiam Cassandramque agnovit. Vix alii decem aderant. «Deorum ignorantia tempore hodierno tam immensa est, ut terricolæ sæpe ne nomina quidem immortalium cognoscant. Exempli gratia quadraginta partes ex centum puerorum decem annorum putant me, id est Iovem, tantum planetam esse. Viginti partes nomen plane ignorant et solum quadraginta partes sciunt Iovem deum esse. Nefas! Ad Iunonem tamen, optimam uxorem meam, transeamus. Septuaginta puerorum partes, incredibile dictu, immortalium reginam ignorant!» Argus oscitavit et Cēdipus lacunar ex cedro mirabile conspiciere incepit. Iuppiter mortalium ignorantiam de deis deabusque per horas tres magna exemplorum copia castigavit. Postremo, cum de miserabili Hecatæ statu locutus esset, quam centum partes ex centum puerorum decem annorum et nonaginta novem

partes hominum mulierumque ignorabant, acroasim suam finivit, omnibus plaudentibus præter Calchantem, qui beate dormiebat.

Vigiles statim deorum patrem reverenter salutaverunt et ex eo quæsierunt quod scire cupiebant. Iuppiter, de lacrimabili Æneæ casu indignatus, auxilium suum pollicitus est. «Me piget extemplo vos adiuvere haud posse, sed Iuno mihi imperavit, ut ante occasum solis domum redirem. Illa sine causa, ob rumores falsorum calumniatorum, putat me puellas exquirere, igitur vetitus sum noctu ab Olympo abesse.» Vigiles responderunt se postero mane eum visituros esse et deus libenter adnuit.

Oriente sole Cēdipus et Argus ad Olympum ascenderunt et in ædes Iovis Iunonisque ingressi sunt. Tonantis secretaria Celæno eos ad cubiculum duxit, ubi consederunt Iovem expectantes. Cēdipus iuxta tabulam litterariam erat, super quam iacebant recens editio Petronii Arbitri operis, exemplar Thomæ S. Eliot *Desertæ Terræ*, commentarii diurni Olympici et chartula cursualis. Cēdipus, satis curiosus, eam cepit comminusque inspexit. Vidit Sibyllam in ampulla pendere et circum pueros, qui dicebant (eorum verba litteris Græcis in chartulæ apice scripta erant): «Σίβυλλα, τί θέλεις;» Respondebat illa: «Ἀποθανεῖν θέλω.»

«Est chartula mihi a fratre Plutone missa» inquit Iuppiter, qui interea in cubiculum pervenerat. «Nuper Cumas ivit et amicam suam Sibyllam salutavit. Cuius antrum cotidie periegetæ plurimi visitant et nonnulli chartulas cursuales ibi emunt.» «Mihi parum iucunda videtur.» «Cum te consentio, periegetæ autem Iaponici chartulas tales valde amant, probabiliter quia litterarum sensum haud intellegunt.» Cēdipus super tabulam chartulam reposuit. Dein: «Iuppiter – inquit – heri angustias, in quibus versamur, tibi narravi. Potesne nobis aliquid de Æneæ Penatibus dicere?» «Cēdipe care, libenter facerem, sed de fato illorum sigillorum nihil memini.» Cum vigiles mæsti viderentur, deus addidit: «Multa ab occasu Troiæ acciderunt et diis deabusque, licet immortalibus, perennis memoria haud est: et nos multa oblivioni damus. Mihi tamen venit in mentem, quomodo vos adiuvere possim. Nam pone Mnemosynes palatium est tabularium, ubi acta divinorum conciliorum asservantur. Nisi fallor paulo post Troiæ expugnationem dii deæque una convenerunt, itaque fortasse in actis illius diei aliquid utile invenietis.»

Vigiles Iovi gratias maximas egerunt et illuc perrexerunt. Dum in tabularium ingrediebantur viderunt Mercurium illinc egredientem. Cēdipus deum urbane salutavit, sed Argus tacuit, cum infensus Mercurio

esset ob iniuriam antiquam. Tabularium erat ædificium immensum, quod dea Nemesis custodiebat. Munus suum arduum haud erat, cum mortales immortalesque, qui mythologiam minus minusque callebant, ut Iuppiter dixerat, semel vel bis tantum in millennio huc adirent, ut acta deorum legerent. Cædipus id intellexit conspiciens librum, ubi visitatores sua nomina scribebant. Per sæcula multa nemo terricolarum cælicolarumve tabularii limina præteriverat. Subscriptiones paucæ veteresque legebantur, inter quas eminebat illa litteris vetustis ab Hesiodo scripta. Nemesis librum in pluteum iterum misit. Deinde dixit: «Itaque acta deorum tempore Troiani belli legere optatis.» «Profecto, præsertim illa Troiæ expugnationi proxima.» Dea aliquid de vana curiositate murmuravit et in ædificii interiora ivit, sequentibus vigilibus.

Iuxta forulos sine fine ambulaverunt, ubi volumina arcana asservabantur. Postremo pervenerunt ante pluteum, in cuius cacumine legerunt tabulam cum verbis *Acta Deorum tempore Belli Troiani*. Cunctatione brevi superata, Nemesis volumen decimum cepit, quod fortuna favente nimis pulverulentum haud videbatur. Id vigilibus porrexit, qui statim capitulorum indicem avidè inspexerunt. «Euge!» inquit Cædipus. «Amice, capitulum de Æneæ fuga ex urbe ardenti inveni. Ecce, ad paginam 1184 confestim pergamus!» Vigiles celeres vetustas paginas volverunt, quæ luce post ter millenariam noctem iterum gavisæ sunt. At, horribile visu, pagina 1184 lacera et discerpta erat, bestiolæ papyrorum cupidissimæ eam voraverant. Una ex illarum legione, satis obesa, paulisper vigilès aspexit et deinde effugit velox. «Quam multi tineas pascunt blattasque diserti!» dixit graviter Nemesis.

Cædipus Argusque afflicti deæ valedixerunt et abierunt. Antequam Olympum reliquerunt, ad Æoli templum gressi sunt, ut tabellas ibi positas inspicerent, quæ iussu Iovis procellas cunctas ubique terrarum factas accurate describebant. Nam Cædipus scire cupiebat quam diu criminis nocte procella Mythopolim turbaverat. Fortuna tamen vigilibus amplius non favebat. Nam Æolus eis dixit vespere illo Iovem afuisse, itaque tabellam de tempestate manu propria exarare non potuisse. «Intra paucos dies hoc faciet.» Dein hilari voce addidit: «Nocte illa Iuppiter, Mercurio comitante, sero rediit, puellam perpulchram procul dubio reppererat.»

Dum vigilès domum redibant cælum iterum nubes obscuraverunt. Cum primum illorum stationem ingressi sunt, pluvia ingens cecidit ferusque ventus arbores inter fulmina et tonitrua commovit. Cædipus ante fenestram meditabatur, cum fulgor caduceum antiquum, Hermæ Trismegisti donum, illuminavit. «Io!

Triumphe!» clamavit repente. «Amice, quid accidit?» «Arge, arcanum revelavi! Cognosco eum, qui Æneæ Penates abstulit.» «Quis est?» «Nunc nomen tibi dicere non audeo, sed mane, dis faventibus, secretum patefaciam. Age, cum Ænea, Ulixè, Diomede et Hectore telephonice loquere. Conveniant omnes prima luce ad Anchisiadæ domum. Ego Iovem orabo, ut istius criminis iudex sit.»

Postero die heroes heroidesque maxima sollicitudine Cædipi adventum expectaverunt, ut postremo nefarium furis nomen scirent. Vigil pervenit sophophono colloquens. «Gratias tibi ago, pelliculam accepi... Certe, certe... Nihil de te dicam... Vale!» Colloquio perfecto heroicum gregem ibi trepidantem intentus conspexit. «Amici, furis doli longe me deceperunt, sed postremo insidiarum rete rupi.» Interea pervenerat Iuppiter quoque, Mercurio comitante. Deus consedit et vigilem hortatus est, ut contionem suam sine mora pergeret. «Cum de Penatium furto investigare incepissem, magno stupore intellexi omnes, qui apud Æneam epulabantur, sigilla furari potuisse.» «Nefas!» dixerunt multi, sed Cædipus loqui haud destitit. «Diomedes Ulixi invidet propter Palladii furtum, cuius gloria orbatum esse se arbitratur, itaque famam suam ulcisci cupit. Hector Andromachaque putant se heredes Regni Troiani esse, qua de causa ipsi de expositione statuenda deliberare exoptaverunt. Ulixes, cuius calliditas super æthera nota est, olim Palladium cepit, quidni nunc et Penates? Transeamus autem ad Didonem.»

«Ego?» quæsivit mulier mirata. «Tu, Dido cara, urbem Romæ inimicissimam condidisti, quam Æneæ heredes funditus deleverunt. Ergo ultionem fortasse cupivisti et Penates abstulisti, cum omnibus dixisses te fictilia in culinam reposituram esse.» «Falsum est! Fictilia revera in culinam reposui, ne imber et pluvia eis damno essent.» «Testis tamen post procellam vasa adhuc super mensam aspexit.» «Fictilia nonnulla minoris momenti reliqui, hoc tamen crimen haud est!» «Cum te consentio» respondit placide Cædipus. «Insuper scio te furem haud fuisse. Confiteor momento temporis me credidisse ipsum Æneam Penates abstulisse.» «Hoc ridiculum, absurdum, insanum est!» «Amice, si Penates tui falsi essent, nihil aliud nisi peropportunum furtum impedivisset, quominus dedecus, infamia et ignominia te in æternum fœdarent.»

Paulisper siluit, ut omnes de verbis nuper dictis cogitare possent. Dein iterum «Nihilominus – inquit – ne tu quidem fur es.» Ulixes risit. «Si nemo nostrum Penates abstulit, quis est fur?» «Amici, vobis dico furem, immo fures, inter nos esse.» «Cædipe, num amens es? Nec Æneas nec Dido nec eorum hospites

sigilla rapuerunt. Quid igitur? Num illa tu Argusque abstulisti?» «Minime, nos vespere illo in statione nostra mansimus commentarium scribentes. Amici, vobis iterum id dico: fures inter nos adsunt!»

Pedetemptim omnium oculi ad Iovem Mercuriumque conversi sunt. «Miserrime vigil, deorum patrem furti accusare audesne?» «Profecto» respondit Œdipus. «Miserrimus iste vigil te Mercuriumque Penatium furti accusat.» «Nefas!» «Fortasse nefas, certe verum. Iuppiter, scisne quomodo veritas mihi venerit in mentem? Fulmen aspiciendo. Nam procella furti nocte sæva fuit, imbre et ventis urbem concussit, sed nullum fulmen memini.» «Hercule, sic est!» dixit Ulixes. «Ego quoque vespere illo me fulmen nullum vidisse recordor.»

Heroes heroidesque cuncti cum eo consenserunt. «Quidni Iuppiter fulmen ullum ex Olympo deorsum iecit, quamquam ille hoc valde amat et, pecunia Orphei accepta, fulminibus mille, si libet, uti potest? Facile dictu, ille Olympo aberat, ut mihi Argoque Æolus dixit. Ventorum deus putavit Iovem puellarum exquirendarum causa profectum esse, sed ipse Iuppiter mihi dixit tempore vespertino illi iussu Iunonis Olympum relinquere haud licere. Dic mihi, Iuppiter, quidnam clam ex Olympo ad terricolarum regiones ivisti?» Deus tacuit torvus. «Revera puellas reperire exoptabasne? Equidem non credo. Nam, dicam libere quod sentio, vespere illo tu iussu Iunonis Mythopolim pervenisti, ut Penates auferres.»

«Incredibile auditu!» fatus est Æneas. «Cur Iuno Penates meos petit?» «Amice, deorum dearumque regina te numquam amavit, itaque expositioni de Mytho Troiano obstare conata est, marito adiuvante.» «Vigil, num Iovem omnipotentem vilem furem mulierisque servum putas?» quæsivit deus iratus. «Recte dicis, nobis tamen Mercurii haud obliviscendum est. Nam, Iuppiter, tu es deorum maximus, sed auferendi parum dexter. Qua de causa Mercurius Penates rapuit, eos dein tibi dedit, ut tu postremo Iunoni illos dares. Insuper, cum dubia nostra de Æneæ ipsius culpa cognovisses, Mercurio imperavisti, ut paginam ad Anchisiadam spectantem in deorum actis tineis blattisque deleret. Nam Mercurium ex tabulario egredientem vidi, sed in visitorum libro nomen eius non legi. Præterea, cum aspicerem de Ænea paginam voluminis decimi, quod parum pulverulentum videbatur, quasi aliquis nuper illud volvisset, bestiolam pinguem ob epulas recentes inveni. Quare post sæcula triginta et duo heri blatta paginam illam edebat?» «De blattarum moribus nihil scio et deliramenta tua audire me tædet. Indicia ista ridicula sunt.»

Surrexit profecturus, Œdipus tamen dixit: «Sit ita sane, nunc autem dic mihi cur Æneæ Penates ad Olympum noctu tuleris. Nam pelliculam Olympicarum securitatis scopocamerarum conspexi, quæ ostendit te cum Mercurio et Penatibus limina prætereuntem.» Vix ea fatus erat, cum illi ordinatum tabellare porrexit, ut pelliculam inspiceret. Deus paluit. «Quis tibi hoc dedit?» «Amici Olympici mihi sunt nonnulli...» Iuppiter iterum consedit murmurans: «Perditus sum!» «Culpam confiterisne?» Silentii momento elapso flebili voce respondit: «Confiteor. Iuno tamen mihi suasit, ut illos auferrem. Irarum tantos volvit sub pectore fluctus! Quid nunc faciam? Mortales cuncti immortalesque me ludibrio habebunt!» «Hoc necesse non est» respondit vigil. «Nam consilium opportunum mihi venit in mentem.»

Post dies quattuor expositio de Mytho Troiano sollemniter portas visitoribus pandit. Omnes cives nobiles Mythopolitani aderant et paulo ante horam statutam pervenerat Æneas cum patribus populoque Penatibus et magnis dis, ut postea heros in carmine suo scripsit. Penates in arca vitrea posuit, dein deorum dearumque delectum gregem ad œcum illustrem comitatus est, ut orationes disertas audirent ad diem illum celebrandum. Audire tamen verbum ambiguum est, cum dii quoque deæque oratores facti sint. Prima locuta est Iuno, veste viridi induta. «Amici et amicæ, mortales et immortales, hodie una læto animo sumus, ut inceptum istud Æneæ egregium laudemus et insignibus de Mytho Troiano monumentis fruamur. Ille heros, origo Romani nominis decusque, divino genere natus, qui e Troia Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque Penates ad Hesperiam duxit, qui semina sevit urbis longe mundi reginæ, doctrina et potentia simul excellentis, nunc historiam suam claram...»

Œdipus et Argus subriserunt cogitantes illa verba concinna ipsum Æneam scripsisse. «...hinc Romanos olim, volventibus annis, hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucrici, qui mare, qui terras omni dicione tenerent...» Dum hæc Iuno loquebatur Œdipus Venerem, quæ pone eum sedebat, nutu salutavit. Dea submissa voce dixit: «Pellicula quam tibi misi bene usus es.» «Nimirum.» «Œdipe, dic mihi, postremo cognovistine, utrum Penates isti veri sint necne?» «Dearum pulcherrima, hoc scire inutile est. Exit in immensum fecunda licentia vatium, obligat historica nec sua verba fide.» ❧

TOTIVS ANNI LECTIO VIVIDISSIMA

– *scripsit Christianus Buyse* –

Cum filii mei essent parvuli, eorum gratia in Latinum verti carmen Iohannis (Hans) Andreus, quod adhuc memoriter tenent. Nunc autem, quoniam ipsi legere sciunt, mihi parvum librum ostenderunt a domo editoria Averbode publicatum pulchrisque imaginibus illustratum necnon textu ab Eo (Eus) Roovers conscripto. Agitur de vacca quæ nihil dicere valet nisi «boe»... atque eam huius rei pudet. Satis simplex est textus, qui tamen nos invitat ut omnes respiciamus, etiam nosmet ipsos, neve ceteros imitari velimus. Hunc ergo textum in Latinum una vertimus. Postero

die, idem feci cum discipulis meis. Qui etiam commoti hac fabula, lætati sunt quod eam in Latinum vertere valuerunt. Per totum annum tractavimus Cæsarem, Plinium Minorem et Ovidium; hac autem ultima lectione intellexerunt linguam Latinam non esse linguam mortuam. Hunc enim textum parantes, non solum vocabula et grammaticam exercuimus, sed etiam una quæsivimus interpretationem quam maxime poeticam exemproque propinquam: verus «limæ labor». Hæc lectio procul dubio fuit totius anni vividissima.

BOE, ZEGT KOE

koe staat in de wei
- boe zegt koe.
de hele dag door.
- boe. boe. boe.

de boer komt langs.
- boe, zegt koe.
- help, gilt de boer.
ik schrik van jou!

de boer is boos.
- altijd maar boe, boe, boe.
je lijkt wel een spook!
koe kijkt sip.

de boer heeft
een tip voor koe.
- zeg eens hoi.
of hallo. of dag.

koe wil het wel.
geen boe zeggen.
maar hoi. en
hallo. en dag.

ze doet haar best.
maar het lukt niet.
ze zegt alleen maar boe.
het spijt me, boer, denkt koe.

koe sjokt naar de stal.
ze hoort geluid
en ziet licht.
en dan... een dief!

MEUH, VACCA MUGIT

in prato vacca
- meuh, mugit.
totam per diem.
- meuh. meuh. meuh.

advenit agricola.
- meuh, mugit.
- adiuva, exclamat
agricola territus.

iratus arator.
- semper meuh dicis.
umbræ similis!
vacca tristis.

vacca suadet
tandem agricola.
- ave, salve,
vale: dic!

hæc dicere
vacca vult:
ave, salve,
vel vale.

maxime molitur.
operam perdit.
agricola mi,
me pænitet!

stabulam adit.
quid audit?
quid videt?
est... fur!



- boe, zegt koe.
en nog een keer: BOE!
- help, gilt de dief.
een spook!

- koe, je bent een held, lacht
de boer. zeg voortaan maar
weer: boe! koe knikt blij.
- boe, zegt koe.

(tekst overgenomen uit een leesboek van Eus Roovers,
illustraties Stieven Van der Poorten, Uitgeverij
Averbode, Zonnekind, jg. 59, nr. 20, 10 juni 2016)

- meuh, mugit.
iterum: MEUH!
- adiuva, exclamat
iste, ibi umbra!

- bene fecisti!
gaudet agricola.
- meuh dicere licet!
et vacca gaudet.

(In linguam Latinam verterunt discipuli Sancti Petri
Instituti Gandavensis classis 4LaALaBz, magistro
Christiano Buyse adiuvante, a.d. v Idus mensis Iunii
MMXVI) ☺

Hunc iucundum textum legentes, bone lector, face-
re non possumus quin de Moravo musico et poeta
Iohanne (Jan) Novák (1921-1984) cogitemus, qui nec ipse
huiusmodi puerilia respuebat, ut patet ex hac profes-
sione canina:

Bau bau
sum canis
quid stupes?
quin tibi dico: sum canis
habeo caudam et demissas aures
etiam latro
sum canis sed haudquaquam latro
ne me male intellexeris
ego quidem latro sed non sum latro
sum canis
latrones non latrant
sunt homines et homines latrare non solent
homines non latrant sed homines sunt latrones

et utuntur latrinis!
Minime ego
homines utuntur latrinis et ferro
ego miliaria præfero et ossa
quidni præferam?
non sum homo
sum canis
et latro
bau bau

*(Meditatio canina: per coro a 3 voci bianche o coro
femminile)*

QVOMODO, CLASSICITATIS STUDIO DELETO, LYCEVM CLASSICVM, MAXIMA EIVS MANIFESTATIO, LAPSVM SIT

– scripsit Johannes Teresi –

Maxima institutio, vera, salubris, nobilis, ingens, quæ olim nata est ex ingenio Italico, in quo versabantur character classicus et proprietas civica, dilapsa est præ fragmentis, vero frustis, segmentis, quibus frustra tributum est nomen lycei.

Agitur de iam clara lycei classici labefactione. In eo philosophus actualista, qui illo momento institutionem scholasticam reformavit et renovans et innovans, Johannes Gentile, incidere voluit renovatam imaginem classicitatis, per quam individuum mente aptum ad grave et arduum iter studiorum impendendum formaretur. Hæc via, cum solam capacitatem adnotaret, omnibus, qui essent divites aut pauperi, aperta erat. Institutione labente, non qui bonis pecuniariis indigentes, sed qui ea habent pro schola privata meliore qualitate prædita possunt optare. Quod iuvenes quidam, potius quam maneant sine ullo exitu in institutionibus deficientibus, alteras destinationes, in Europæ regionibus septentrionalibus, sitas, eligunt. Periclitatio et defectio institutionis scholasticæ, cum se habere in animo progressum intellectualem iuvenum dicat, e contra manifestatur.

Præterea innovatio technologica et omnia quæ addenda ei sunt, quæ putantur meliorem qualitatem institutioni scholasticæ adferre, in re non optimum exitum habere potuerunt. Quia instrumenta optima esse possent, si formationem integram comitarentur. Patet formationem hanc, quæ in superficie moratur, dici non posse educationem, cum educatio sit personæ incrementum per doctrinam theoreticam et practicam.

Si progressus humanus est transitus de individuo ad personam, in formatione doctrina theoretica practicæ anteponitur, quia persona est finis non medium. Usus technologicus e contrario factus est finis et individuum de eo iam dependet. Consequitur, ut transitus de quo agitur non eveniat secundum claritatem regulæ classicæ, ubi imperat sensus harmoniæ inter theoriam et praxim. Instrumenta, quæ ut utilia non negantur, ad se reducta sunt, ubi individuum factum est medium per quod ea moventur et aguntur. In hac formatione prævalet quantitas, non qualitas, ut disciplina, quæ est imprimis vis, voluntas, libido cognoscendi et agendi, et in qua humanitas explenda esset. Nam magistri ad similem humanitatem peragendam appellantur in discipulis. Nonne est ridiculum hodie discipulos imponere «tabellam valutatoriam» magistris, qui non respondeant criteriis hodiernis prævalentibus et qui propter hoc putantur a vulgo maxime deficientes?

Cui rei additur institutionem scholasticam opificium putari, ubi discipuli sunt clientes et magistri operarii. Quotiescumque consessus inter directorem et

operarios convocatur terminologia œconomica viget: magis magisque nova proposita commercialia invenienda sunt ut status systematis semper optimus sit. Iam non est quæstio de scientia vel potius doctrina. Exitus clarus est: nemo Italice loquitur. Sermo et structura eius ignoratur. Satis est, ut consessui cuidam vir doctus adsit: modus loquendi miser factus est!

Mihi contigit ut audirem amicum professorem, qui mihi retulit casum mirabilem: in consessu magistrorum generali lycei, domina quædam, cum vellet potius indicare aliquam discriminationem inter duas res, verbo ‘sperequatione’ usa est. Scitur hoc verbum non significare conceptum quod erat in mente dominæ cuiusdam sed conceptum œconomicum attinens ad bonorum inæqualem distributionem in civitate.

Status hic typicus est et repræsentativus conditionis generalis institutionis scholasticæ. Magistri et directores maxime indocti sunt et ignorantix fautores facti sunt.

Si tamen maxima discriminatio inter eos introduce-retur, minima pars maneret et superesset. Vera discriminatio est inter itinerarium theoreticum et practicum; per primum transeunt discipuli ad theoresim apti, per secundum ad vitam practicam ceteri destinantur. Sicut Thomas dicebat in Summa Theologica, quantitas materiæ propria est: non omnes sunt natura apti ad theoresim faciendam. Contra videmus multiplicia fragmenta scholastica surgere magis magisque cum hoc horribile et tremendum phænomenum faveat innumeris discipulis in parvulo spatio coactis et innumeris magistris quorum mens notiones absorbuerit sine ulla manducatione formatrice et non idonea sit ad theoresim compe-riendam. Necessè est habere sub oculis hoc adagium: ‘Intellectus intelligendo omnia fit’. ☞

SECTA PHŒNICIS

– scripsit Georgius Ludovicus Borges, in Latinum vertit Franciscus Loaliza-Lemos –

Illi qui ferunt originem Sectæ Phœnicis Heliopoli fuisse, et eam derivant a restauratione religiosa quæ post mortem reformatoris Amenophis IV evenit, opera sicut indicia proferunt Herodoti, Taciti et monumenta Ægyptii, sed hoc ignorant, aut volunt ignorare, quod nuncupatio ‘Phœnix’ non ante Hrabanum Maurum apparet, et quod fontes antiquissimi (id est, aut Saturnalia, aut Flavius Iosephus, exempli gratia), tantum ‘Gentem Consuetudinis’ aut ‘Gentem Secreti’ memorant. Iam Gregorovius, in cœtibus Ferrariensibus, non mentionem Phœnicis omnino inusitatam esse in colloquio quotidiano. Genavæ locutus sum cum fabris qui me non intellexerunt cum inquisivi num homines Phœnicis essent, sed confestim fassi sunt se homines Secreti esse. Nisi fallor, similiter fit de Buddistis: titulus, quo populus eos designat, non est idem quo ipsi sese nuncupant.

Miklosich, in quodam textu notissimo, æquiparat asseclas Phœnicis cum vagabundis Ægyptiis. Habemus vagabundos Ægyptios in Chilia et in Hungaria et asseclas quoque. Sed præter hanc speciem ubiquitatis pauca illi cum istis in commune habent. Vagabundi Ægyptii arillatores sunt equorum, aut fabricatores lebetum, aut fabri ferrarii, aut sortilegi; asseclæ Phœnicis feliciter professiones solitant liberales exercere. Vagabundi Ægyptii progeniem diversam constituunt, et loquuntur, aut olim locuti sunt, abscondita lingua; asseclæ Phœnicis cum omnibus conmixti vivunt et hoc eo probatur, quod nunquam persecutiones passi sunt. Vagabundi Ægyptii sunt gens graphica et afflant pessimos poetas; neque mythistoriæ, neque diurnaria, neque cantus asseclas Phœnicis memorant.

Martinus Buber affirmat Iudæos præcipue esse patheticos; non omnes asseclæ Phœnicis sunt pathetici, et aliqui hanc naturam abominant. Hæc publica et manifesta veritas sufficit ad vulgarem errorem refutandum (quem absurde Urmann defendit) qui tenet Sectam Phœnicis pro sequela Israelis. Homines plus minusve ratiocinantur hoc modo: vir humanus erat Urmann; Iudæus erat Urmann; idem Pragæ frequentavit asseclas Phœnicis in vico Iudæorum; affinitatem quam ille sensit ergo demonstrat hoc factum verum esse. Non possum, reapse, hoc cum iudicio consentire. Si asseclæ Phœnicis assimilés sunt Iudæis cum in regione Iudæorum habitant, hoc nihil probat. Sed nemo negare potest asseclas, sicut ille Shakespeare infinitus a Hazlitt conceptus, assimilés esse omnibus hominibus in orbe terrarum. Sunt omnia omnibus, sicut Apostolus; nuper laudavit doctor Iohannes Franciscus Amaro, a regione Paysandú, quam facile asseclæ se indigenis assimilarent.

Dixi supra historiam asseclarum Phœnicis non notare persecutiones. Hoc verum est, sed quia nulla congregatio hominum exstat quæ in se non habeat asseclas Phœnicis, verum quoque est nullam persecutionem aut sævitiam sive eis unquam pepercisse, sive ab eis esse perpetratam.

In bellis occidentalibus et in remotis præliis Asiaticis asseclæ suum sanguinem sub vexillis inimicis per sæcula effuderunt; nullo modo adiuvat eos sese cum omnibus gentibus orbis terrarum commiscere.

Sine libro quod eos unificet, sicut Biblia Hebræos, sine communi memoria, sine altera memoria quæ est lingua, sparsi in circuitu terræ, et variati colore et lineamenti faciei, tantum una re, i.e., ‘Secretum’, adunantur, et adunabuntur usque ad postremos dies. Olim præter Secretum erat fabula (et fortasse mythos cosmogoniæ), sed quia homines Phœnicis nullam operam dederunt obliiti sunt eam, et servant tantum obscuram consuetudinem de pœna. Aut de pœna, aut de fœdere, aut de privilegio, quia versiones fabulæ inter se differunt, et vix sinunt diiudicationem a Deo datam perspicere, quæ promittit stirpi cuidam vitam æternam, si participes certum ritum per sæcula sæculorum perficiant.

Nunc et ego relationes percensui viatorum, et fabulatus sum cum patriarchis et theologis; et fidem dare possum executionem ritus solam praxim religiosam esse, quam asseclæ Phœnicis observant. Ritus est Secretum. Et id transmittitur, ut supra dixi, per generationes, sed consuetudo sectæ neque sinit filios a matribus neque a sacerdotibus id discere. Initiatio in mysterium est officium hominum infimorum. Aut servi, aut leprosi, aut mendicantes agunt partem mystagogi. Puer quoque potest alterum puerum instruere. Tamen actus ipse est incallidus levisque, momentaneus, neque poscit lineamenta. Suber et cera, aut gummi Arabicum, eius materies formant. (Lutum in liturgia invenimus, et in ritu quoque adhibetur).

Non habet ritus fana quæ ei unice dicata sint, ubi asseclæ cultum celebrent. Putant parietinas aut cellas subterraneas aut vestibula loca propitia esse. Sacrum est Secretum sed etiam paululum ridiculum. Furtivo et quidem clandestino modo id perficiunt, sed sequaces non fabulantur de eo. Non exstant casta verba quibus id nominari possit, sed patet omnia verba id nominare, aut melius, ad id inevitabiliter alludere, et sic cum in dialogo rem qualemcumque tetigi asseclæ aut subriserunt aut molestiam susceperunt quia senserunt me Secretum tetigisse.

In literis Germanicis exstant poemata a sequacibus scripta quæ se agere fingunt de mari aut de crepusculo

vespertino; sed denuo audio ea, quodam modo, symbola Secreti esse. «Orbis terrarum est speculum Ludi» ait nothum dictum quod Du Cange in Glossarium admisit. Species sacri horroris aliquos fideles impedit ne simplicissimum ritum perficiant; alii eos despiciunt, sed ipsi se etiam magis despiciunt. Contra, magna æstimatione fruuntur illi qui sua sponte Consuetudinem relinquunt, et directum commercium cum divinitate adipiscuntur; ad commercium patefaciendum figuras liturgiæ adhibent, ideoque scripsit Iohannes Crucifixi:

*Et sciant Novem Firmamenta Deum
Sicut suber et lutum delectabilem esse.*

In tribus continentibus terræ amicitiam merui multorum devotorum Phœnicis; et hoc est mihi vere perspicuum, quod in principio Secretum illis frivolum, impudicum, vulgare (et quod magis mirum est) incredibile esse videbatur. Non poterant imaginari patres suos se tam indecore gessisse.

Mirum quidem est quod Secretum adhuc exstat et numquam diu amissum est; præter vicissitudines rerum, et plurimas migrationes et innumerabilia bella, advenit semper terribiliter ad omnes fideles. Ideoque sunt qui non dubitent affirmare Secretum iam instinctum naturæ esse. ☞

DE NOVIS LIBRIS

Arminius narrat...

Armin MAIWALD, *Das Wunder des Lebens – Miraculum vitæ*, in Latinum vertit Udalricus Krauße, Verlag MundusLatinus, 2015, 93 p.

ISBN 978-3-9813892-5-8

Armin MAIWALD, *Lateinische Sachgeschichten – Fabulæ Latinæ*, in Latinum vertit Udalricus Krauße, Verlag MundusLatinus, 2015, 76 p.

ISBN 978-3-9813892-6-5

Arminius Maiwald, scriptor, televisionis director et productor, auctor pellicularum didacticarum, in Germania est vir clarus. Idem e scholæ tempore studium servavit linguæ Latinæ; inde sponte orta est cooperatio cum domo editoria 'MundusLatinus' inscripta, cuius moderator Udalricus Krauße magnam operam dat ut Germanis discipulis proponantur libelli iucundi, attractivi, ludicri, quibus gaudenter alliciantur ad colendam linguam Latinam.

Ecce ergo duo novi libelli permultis coloratisque imaginibus illustrati, quibus adulescentes simul linguam Latinam exercent et res ad vitam nostram pertinentes discant: quomodo nascatur infans, quam difficilis sit latrinæ usus in spatio siderali, quæ vestimenta Papa gerere solet, qua ratione ignis accendatur, quæ sit fabricatio placentæ religiosæ, quam hostiam vocamus. Res miræ sane, et hoc quidem Latine!

www.munduslatinus.de



In hoc fasciculo !

De mutatis bellandi modis [G. Licoppe] p. 1
In memoriam professoris Nicolai Fedorov [A. Slednikov] p. 3
Rapti Penates [M. Cristini] p. 5
Totius anni lectio vividissima [C. Buysse] p. 12
Quomodo lyceum classicum lapsum sit [J. Teresi] p. 14
Secta Phœnicis [G.L. Borges - F. Loaiza-Lemos] p. 15
Bibliotheca Latina p. 16

Imago tegumenti: Lararium domus Vettiorum, Pompeiis

Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :

TH. SACRÉ (ed.), *De Desiderio Erasmo eiusque fortuna commentationes*.
15 eur. (+ 10 eur. pro sumptibus cursualibus in Europa)

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum
Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)* - 30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus* - 25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea* – Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro
Angelino versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus
Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina
indutæ*. Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-
Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*
De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et lin-
guisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius* - In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit,
ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt
De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam
muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo
Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra
tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA